



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mons Thabor Sive Solitudo Exercitiorum Spiritualium

Bisling, Anselm

[Einsiedeln], 1682

Devota Oratio, initio Exercitiorum præmittenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60545)

Considerationes pomeridianæ: ex eodem,

Devota Oratio, initio Exercitiorum præmittenda.

Orationis
formula pro
exercitijs.

Intentio ex-
ercitantis.

Domine Deus Omnipotens, cæli, terræque Conditor; adorandæ, atque tremendæ Rex Majestatis, qui me de nihilo ad imaginem, & similitudinem tuam creâsti, & constituisti super omnia opera manuum tuarum, ut plaudam, & laudem dicam Nomini tuo Altissime; tibi quoque fideliter serviam, ac toto mentis affectu te quæram, & diligam tanquam ultimum finem meum, Deum meum, & omnia. Ecce ego omnium tuarum creaturarum ingratiſſima, & indigniſſima compareo coram infinitæ clementiæ & Bonitatis tuæ throno, ut tecum per hoc tempus acceptabile, & dies salutis, non solum intimè ac familiarissime conversari merear, & in unione secessûs Vnigeniti Filij tui, Domini mei IESV Christi in desertum ibique quadraginta dierum spatio jejunio, & oratione perseverantis, se etiam, ut liberrimè aliquando de maximo aternæ meæ salvationis negotio tractare valeam. Ex quo enim, ô Pa-

ter misericordiarum, & Deus totius
consolationis! sola inexhaustæ miseri-
cordiæ tuæ dignatione per amantissi-
mum meum IESVM ac Salvatorem e-
ruiſti animam meam de ſtatu ſæculi ne-
quam, de lacu miſeriæ, de luto faciſ,
& ex ipſo inferno inferiori, in tantam,
prò dolor! beneficiorum tuorum obli-
vionem, incuriam, pernicioſiſſimam
repiditatem, ac negligentiam ſenſim de-
veni, ut vehementer expaveſcam, ne
citò, citò nimis incipias me evomere de
ore tuo ſacroſancto, & benedicto, ni-
ſi me quantocyùs feſtinem emendare,
& ſeriò tandem; ah! tandem aliquan-
do recogitare corde, unde exciderim.
Idcirco ô Deus meus! ô Amor meus!
qui tamdiu ſuſtinuiſti peccantem, ex-
ſpectaſti differentem, repugnantem in-
vitâſti, torpentem excitâſti, & quaſi
nolentem compuliſti; ſuſcipe nunc re-
vertentem, parce piſſimè pœnitenti, &
totâ non ſolùm tot pretioſiſſimi tempo-
ris horarum, ſed tantam bene merendi &
proſcendi in ſtatu meo (Clericali)(Re-
ligoſo) ſubſtantiam; tamque innumeros
ferventiùs tibi inſerviendi, crebriùs te
laudandi, & ardentius longè amandi
occaſiones, ita luridè diſſipantem, tan-
quam alterum filium prodigum, cle-
mentiffime Pater, pietatiſ tuæ brachijs
am-

Accuſatio
proprie le-
gligentia.

Depreca-
tio venia.

Petitio lu-
minis divi-
ni

amplexare. Da obsecro mihi, & benignissima cordis, mei dulcedo ! contemplari te in mentis excessu, ut intellectus meus cognoscat te, memoria mea recogitet te, meditatio mea exquirat te, anima mea inveniatur te, affectus meus suspiret ad te, voluntas mea, & cor meum fortissimis charitatis tuæ mirificæ vinculis constringat te, neque dimittat te nisi abundanter benedixeris mihi. Concede etiam mihi misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardentem concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere ad laudem, & gloriam nominis tui, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

INTRODUCTIO
PRÆLIMINARIS

*Ad Tabernaculum Moysis in
via Purgativa.*

THEOPHOBVS.

(I.)

Ille Caroli Imperatoris re, & nomine Magni beatissimus nepos & monachus Sant-Gallensis Notkerus (quem idem